CAPUT II.

EX THEOLOGIA DOGMATICA.

I. Exiſtit Deus hujus Univerſi Auctor, isque unicus eſt & infinitus; atque ejus providentia ad omnia etiam minima ſe extendit.

II. In una eſſentia divina tres ſunt perſonae ab invicem realiter diſtinctae, quarum prima Pater eſt, ſecunda Filius, & tertia Spiritus Sanctus.

III. Textum 1 Joann. 5, 7. genuinum eſſe, argumenta duplicis generis evincunt, interna, & externa.

IV. Dei Filius, ſeu ſecunda in Trinitate perſona, verus Deus eſt; Scripturae enim eidem & opera & adtributa divina tribuunt.

V. Spiritus Sanctus verus Deus eſt, Patri Filioque conſubſtantialis, & ab utroque una ſpiratione procedit.

VI. Opus Creationis in ſacris literis non ſoli Patri, ſed etiam Filio & Spiritui Sancto tribuitur.

VII. Deus nulla neceſſitate, ſed libere hunc mundum condidit, atque materia aeterna, ex qua nonnulli mundum a Deo productum eſſe, exiſtimarunt, contradictionem involvit.

VIII. Adamus univerſi generis humani caput eſt, & ab eo omnes plane homines ſuam trahunt originem; hinc Praeadamitarum exiſtentia fabulis accenſetur.

IX.

IX. Adamus peccavit comedendo de fructu vetito, & ſinguli ab Adamo deſcendentes inde peccatum quoddam ipſis connatum contraxerunt, quod *originale* vocari ſolet, propagatione, non imitatione in omnes diffuſum.

X. Deus creavit angelos corporis expertes, intellectu & voluntate praeditos, eorumque *natura*, ut inquit S. Auguſtinus, omnia caetera, quae Deus condidit, naturae dignitate præcedit.

XI. Non omnes angeli in juſtitia & ſanctitate perſeverarunt, ſed plures peccaverunt, & amiſſo felicitatis ſtatu ad ſtatum miſeriae & poenarum delapſi ſunt; hinc Angeli in bonos & malos diſtinguuntur.

XII. Jeſus Chriſtus, aeterni Patris coaeternus Filius ex Maria Virgine obumbrante eam Spiritus Sancti virtute carnem ſuſcipere, & unita in ſe ceu unica perſona, divina humanaque natura Bethlehemi in diebus Regis Herodis naſci dignatus eſt; ac proinde ſicuti verus homo, ita quoque verus Deus, atque Virgo Mater ejus vere & proprie Deipara eſt.

XIII. Chriſtus Mediator Deum inter & hominem abunde pro peccatis hominum ſatisfecit.

XIV. Chriſti Mediatoris meritis invocatio & interceſſio ſanctorum nihil derogat; licet igitur Sanctos cultu quodam colere, qui

tamen

tamen ab eo, qui ſoli Deo debetur, toto genere diverſus ſit, neceſſe eſt.

XV. Gratiae interioris auxilium hominibus ad omne opus bonum tam inchoandum, quam perficiendum neceſſarium eſt.

XVI. Auxilium iſtud ante Chriſti adventum non conferebatur, niſi per fidem in venturum Meſſiam; poſt adventum Meſſiae vero potiſſimum per novae Legis Sacramenta.

XVII. Septem ſunt Legis Gratiæ Sacramenta, nec plura, nec pauciora quorum tria, Baptiſmus ſcilicet, Confirmatio & Ordo animae ſignum quoddam indelebile, quod characterem vocant, imprimunt.

XVIII. Baptiſmus in ſolo Chriſti nomine collatus eſt invalidus. Textus Act. 2, 38. 10, 48. 19, 5. non efficiunt, Apoſtolos in ſolo Chriſti nomine baptizaſſe.

XIX. Manuum impoſitio, quae ad eſſentialem Confirmationis ritum deſideratur, probabilius non eſt actio a Chriſmatione diſtincta, ſed in ea implicite continetur.

XX. Confeſſio peccatorum gravium ſingulorum, etiam occultiſſimorum de jure divino facienda eſt.

XXI. Nectarius, qui ſuſtulit Presbyterum poenitentiarium, confeſſioni ſecretae nihil praejudicavit, nec illam abolere contendit.

XXII. Remiſſio poenarum, poſt condonationem peccati & ſupplicii aeterni debitarum, *indulgentia* dicitur.

XXIII. Sententia, quae adſerit, indulgentiis remit-

remitti poenas coram Ecclesia solum, nullatenus autem coram Deo debitas, sine nota haereseos propugnari potest; nihilominus

XXIV. Indulgentias poenas temporales restantes coram Deo vel in hac, vel in altera vita debitas relaxare contendo.

XXV. Facta a Ministro Consecratione Christus realiter est praesens etiam extra sumtionem ita, ut tota substantia panis in Corpus, & tota substantia vini in Sanguinem conversa sit.

XXVI. Communio sub utraque specie non sacrificantibus mandato divino non est praecepta.

XXVII. Sacramento Ordinis confertur gratia ad officia cuilibet Ordini propria rite persolvenda.

XXVIII. Matrimonii Ministrum sacerdotem esse, sententia moraliter certa est.

XXIX. Unctio infirmorum a S. Jacobo 5, 14. 15 promulgata N. L. Sacramentum est, & ab illa distinguitur, quae tempore Apostolorum in miraculosis infirmorum curationibus adhibebatur.

XXX. Homines in peccato mortali morientes in infernum descendunt; in statu autem gratiae sine macula decedentes ad aeternam adsumuntur gloriam; si vero ipsis aliquid luendum superfit, nonnisi per ignem Purgatorii salvi erunt.

XXXI. Textus Matth. 25, 46. Marc. 9, 42. seq. poenas in ferni aeternas esse, invicte ostendunt.